

## Joan Lluís Vives, *Veritas fucata*

[...] *Veritas* suis laudibus, magnis illis quidem, sed nec verbulo tamen non verissimis, delectata, cœpit de illis deliberare qui in adversa porticu deambularent, et ut affectu est in mortales omnes materno, et deliciæ ejus versari cum hominibus, dedit magnis quibusdam viris negotium, et in primis Platoni, ut illos deserto *Falso* cum impurissimo et teterrimo comitatu ad *Veritatem* transire adhortaretur: ibi derisa primum est *Veritas*, quæ regina ut se ferret, ne bracteolam quidem auri possideret, nihilque ab ancillis toto distaret cultu; hinc quum multos versus cæce funditaret Homerus, alios acute, alios, ut Platonem postea narrantem audivi, neque cœlum attingentes, neque terram, Plato cœpit cum eo etiam versibus rem decernere, ut qui juvenis multum carmine valuisset: Homerus accensus jubet illum quam primum abscedere: Plato Homero, et ceteris poëtis interminatus est nullum illis fore in sua republica locum, quam nunc excitaret admirabilem, quippe quam soli sapientes incolerent: accurrit ad jurgium Heraclitus Ephesius, et cum alia permulta dixit, quæ nec Homerus quidem intellexit, cum illud paullo apertius, se nullum poëtam sententia sua permissurum accedere ad sacra certamina: denique redit Plato legatus re infecta.

**Plato.**

**Homerus.**

**Heraclitus  
Ephesius.**

Nocte insequenti magnus est in contubernio *Falsi* factus animorum motus, quod se dicerent nefarie atque impie fecisse, quum tam ignominiose legatum *Veritatis* rejecerint; esse illam germanam reginam et dominam mentium humanarum, illi esse eas natas non *Falso*; optimum et suavissimum mentium pastum esse *Verum*, ipsam quoque unice amare hominum genus; ita postridie pertumultuose in concionem concurritur, exposcunt ut legati mittantur, qui de fœdere et amicitia inter principes *Verum*, et *Falsum* agerent; gnari rerum negant coïre posse gratiam ullam et amicitiam inter animos tam discordes; sed, ut concitata multitudini satis fieret, placet mitti aliquot cum his mandatis: “Paratos esse *Falsianos Veritatem* in regnum et possessiones suas recipere, si modo fœdere primum, deinde affinitate cum *Falso* rege suo jungatur, aliter nihil posse convenire; homines tam delicatis auribus, et educatione, aspera illa et rudia *Veritatis* pati sine offensione insolentiæ non posse, præsertim quum tam intolerabilem Portet sobolem” approbantur mandata comitiis curiatis ab adulatione et poëtis pro tempore habitis; de legatis dissidebatur.

**Legati.**

**Mandata.**

Homerus, quem publicus eo consensus mittebat, excusare sedulo permulta; primum cæcitatem suam, deinde inopiam, tum senectutem, hinc magnas occupationes canendis versibus, et celebrando principe; postremo pridianum cum Platone jurgium, quo parum abfuerat quin ad manus esset ventum; Platonem vero plurimum apud veraces posse ac pollere; quòd si M. Tullius tam diu in republica versatus, et illa in patriam caritate, legationem pacificatoriam tam honorificam, tam reipublicæ utilem et necessariam, a Senatu tam cupide oblatam, recusavit quòd in Antonii castris Ventidium haberet et Saxam iratis in se animis, ¿quid sibi censerent faciendum homini hac conditione, et usu rerum? vix poterat hæc oratio, quæ magna ex parte carmine dicebatur, a

**Homerus.**

multitudine auribus accipi, animis nullo modo: tum silere turba per praeconem jussa, Praefectus urbi sita disseruit:

“Satis tibi et honestas legationis hujus, et utilitas publica ipsae per esse persuaserunt, ut munus hoc, quod tibi patria imponit, libens subeas, si modo qui te hinc arcent óbices, amoveantur; itaque adhibe animum, mentemque istam sublimem, ac divinam, ut quae tute ex te invenisses si advertisses animum, de homine audias, longe et ingenio tibi, et eruditione inferiore, tui certe admiratore ac studiosissimo, quales habes per universum terrarum orbem haud sane paucos, idque optimo jure; respondebo ergo tibi tuo ordine, et paucis, nam vides nec locum neque tempus orationes ferre longiores: cæcitatem objicis, hæc te nunquam a maximarum rerum actibus retraxit, aut retardavit; sed puerum habes qui te ducit; et dabitur tibi Hesiodus Ascræus comes, homo Bæotius, visu, et lingua rusticana veritatis non dissimili: at inopia nulla res illi regno quo te mittimus gratior; non multos illic deprehendes te opulentiores; sed feres tecum pro capsula cartarum scrinium Datii regis, quo nihil tota Asia inventum est preciosius: senectutem, mirum, ut sectatores omnes *Veritatis* habeant in honore; ea principem suum delectari perhibent: a cantibus versuum ¿quæ te unquam peregrinationes averterunt? tum etiam forsitan inter magistros illos, qui se omnia scire, et tenere profitentur, aliquid discas, quod ornamento tuis esse carminibus queat; quin te ultro illuc profectum oportuit, qui cupidine sciendi tot maria ingressus es, tot insulas, tot remotissimas adiisti nationes: Plato Atheniensis, cujus inimicitias metuis, homo est, quantum fama fert, placabilis facile, ac reconciliabilis; tu, qui illum tantum in regno *Veritatis* valere putas, falleris, nam ne sis hujus rei insciens, ipse paucis ante diebus, ut per fugæ narrant, postulatus est a judæis furti, et peculatus; ita opibus ejus multum est detractum, et gratia imminuta, reumque ab hominibus, illo regno post christianos potentissimis, et gratiosissimis, peractum; sollicitiorem de suo ipsius casu quam de tuis inimiciis offendes: ¿quid si etiam ultro se adjungat tibi, ut legationis gratia aliquod suo discrimini remedium paret? Denique M. Tullius a te ne nominandus quidem fuit, homo primum meticulousus, deinde qui susceptas inimicitias pertinacius exerceret quam reipublicæ expediebat” testes excitavit Sallustium Crispum, et Asinium Pollionem, qui jurejurando ita esse affirmarunt: “his igitur de causis, inquit, et rationibus, ego tibi obcundam legationem censeo; tu quicquid agis, Calliopem precor feliciter civitati nostræ evenire ut sinat.”

Acclamatum est a concione, ut, quod felix et faustum esset, iret, perferret patriæ mandata ad *Veritatem*. Et ille quidem, Hesiodo comitatus, et duobus a pedibus Luciano, atque Appulejo, iter ingressus est: Lucianus Appulejo dixit se quandoque versum in asinum; Appulejus sic commentum et audivit lætus, et risit, ut ipse quoque se in asinum mutatum esse plurimis narrarit, et in primis Martiano Capellæ, et Sulpitio Apolinari, et Baptistæ Pio, et Philippo Beroaldo. Homerus magna utriusque gentis et anxia expectatione in domicilium *Veritatis* venit; ibi invocatis de more Musis, quum tandem post multa carmina satis bene suo juicio præmiatus, ad rem venit; omnia ut mandata habebat, exposuit; admixtus concioni Dion Prusiensis exclamavit nihil cum ejusmodi legato conventurum; fictum, concinnatum, concretum,

**Oratione  
Præfecti  
urbis.**

**Hesiodus  
Ascræus.**

**Sallustius.  
Pollio.**

**Legatio.  
Lucianus.  
Appulejus.**

**Dion  
Prusiensis.**

coagmentatum esse *Falso*, et mendacio; mirum ni secum attulerit Ulysses suum omnia mentientem. *Veritas* interturbatorem illum pedibus extrahi concione jussit, nam ipsa, modo se tantæ multitudini quanta in *Falsi* regno versabatur, insinuaret, nullas condiciones, honestas tantum, aut etiam tolerabiles, recusabat, itaque convenire aliquid omnino volebat; interrogatus *Veritatis* verbis Homerus quemadmodum affinitas posset coire, quum infœcundum Semper fuisset *Falsum*, respondit única ratione id futurum, si cultum, fucumque *Falsi* admitteret; id esse cum suo príncipe sacratissimo fœdus; eam non affinitatem modo sed propinquitatem, et gentilitatem; se et fucum illum totum in promptu habere, et scientissimum esse fucandi, ut si quis esset alius; et ut intellexit *Veritatem* tam alienum, et suæ naturæ inimicum fucum aspernari ac abominari, cœpit de fuci utilitate sic disserere, versibus quidem, et græce; verum ipse latine et soluta oratione dicam, ut institui.

**De fuci utilitate.**

Principio contacta involucris illis *Veritas* multis erit admirabilior, nempe rarior, unde admiratio nasci solet; ostendit hoc exemplo multorum virorum illustrium, quorum vita, quo majore esset auctoritate, ac veneratione, procul a frequentia acta est, ut Pericles Athenis, et Romæ Tiberius Cæsar; hinc ubi quis detecto amiculo ad corpus ipsum *Veritatis* penetrarit, gratiorem fore *Veritatem*, nempe labore partam, tum etiam cariorem, videlicet non exiguo precio emtam; natura rerum ita fert ut puteant ultroneæ merces, et plerisque rebus nihil aliud parit æstimationem, nisi quod caro venduntur: *Veritas* se libentius nudam acturam respondit; eo cultu satis multum in animis hominum suo precio valituram, naturamque suae, si recte ab ingeniis humanis sit percepta, gratissimam fore omnibus, et incredibiles amores excitaturam sui. Homerus se non dubitare ita esse quæ *Veritas* diceret, ait, ceterum nosse se mores, et ingenia sui populi; illa se habere mandata, quibus repudiatis transigi vix quicquam posset: in consilio *Veritatis* quum amplius deliberandum esset pronuntiatum, res in posterum diem rejecta est.

**Pericles. Tiberius.**

Lautia sub vesperum Homero missa, et habitus honores permagni admirando ingenio, ductusque per totam *Veritatis* regiam, explicata longo sermone a ductoribus singula: rogavit ductores Homerus ut ad rempublicam Platonis se ducerent, quam non ingressurum se Plato sit minatus: non aberat procul, deserta, ut quam soli incolerent Socrates, et Plato, fundamentis magno jactis molimine a Socrate marmorario; ædificium tantum delineatum erat a Platone, propositum ante portam ad corrogandas a prætereuntibus stipes in expensas operis: ajunt proximis Calendis atticis ab Academicis excitatum iri muros et domos: quod Homerus ubi cognovisset, risit Platonis minas, et ipse vicissim illi est minatus eum tam desolatam civitatem inculturum; sed submonitus est Homerus faceretur illinc mature priusquam egrederetur Socrates retibus, et spinis horrens, ne caperetur, aut pungeretur, præsertim quum etiam acutissime cernentes vix ejusmodi pericula salvi evadant.

**Lautia Homero.**

**Respublica Platonis.**

**Socrates marmorarius.**

**Socratis spinæ et retia.**

VIV. Facere non possum, quin interloquar ¿qui quæso Homerus versari cum Luciano et Appulejo, et alloqui Platonem potuit, et meminisse Ciceronis, Periclis, et Tiberii Cæsaris, quum ipsorum inter se ætates tot seculis distent? Vide ne parum verisimilem fabulam narres.

VERG. Inepte, ¿ceum non simile apud Homerum legeris et Vergilium?

Illi omnes, vel defuncti vita se cognoverunt, vel multis annorum millibus antequam venirent in vitam, ut Pythagoras, et Plato crediderunt. ¿An tu tantorum philosophorum audebis repugnare sententiæ, quæ te auctoritate revincet, si rationibus nequeat? Pythagoras nihil aliud afferet, quam ἀντὸς ἴφα, et Plato Deum se philosophorum esse objectabit. *VIV.* Intelligo quorsum spectet fabula.

*VERG.* ¿Ubi me interpellasti?

*VIV.* Prope rempublicam Platonis ad serum fere diei.

*VERG.* Plane, utrumque est nocti proximum; admonitus igitur est Homerus instare noctem, ductusque in hospitium publice datum, adhibiti ejus cœnæ Empedocles, Lucretius, Varro, Lucanus, Silius Italicus, Juvencus, Sedulius, Ausonius, Prudentius, Arator, Prosper; Varrone multum querulo, et identidem immurmurante excessisse convivas numerum Musarum; quod quum intellexisset Ausonius, suspicatus de se queri, magnos iniecit griphos de numero Musarum, ut nemo quiret expedire: ita molesta in præsens Varronis querela exclusa est. Ad exhilarandum convivium Appulejus quædam dixit de Asino: Lucianus suas veras narrationes exposuit, quas nec ipse, nec alius quisque vel vidit, vel audivit, vel credit. Ea nocte multa secum *Veritas* reputavit et revolvit; multa cum intimis consiliariorum tractavit de hoc fucio; esse quidem rem *Veritati* exhorrendam, sed metuere se obstinatos aliorum animos; non sine maximo dolore tantum hominum prætermisuram; itaque visum est certis conditionibus accipi mandata; fucum in totum nec admittim, nec rejici: vocatus est Homerus, et hæc illi dictæ sunt conditiones in regnum *Falsi* perferendæ.

**Pythagoras.  
Plato.**

**Homeri servi  
et convivæ.**

**Ausonii  
griphus.**

#### *PRIMA CONDITIO.*

**F**Ama publica, bellua multorum capitem, libero, licenti, effreni ore indomita, immoderata, magna errorum magistra, finget, refinget, reconcinnabit, componet, tradet, fucabit in *Veritate* quæ libuerit, et quatenus libuerit; hæc auctores, sive compositores, sive fictores, qui græce poëtæ nominantur, si conscripserint, sine vitio esto et fraude; nam confingere aliquem eorum, et comminisci id totum quod referat, ineptum videbitur, et mendacem potius, quàm poëtam esse.

**Fama.**

#### *SECUNDA CONDITIO.*

**Q**Uum ante Olympiades, quarum initium est quadringentis annis post dirutum Ilium, triginta ante conditam Romam, Æschilo Athenis Archonte, omnia a rerum scriptoribus tradantur confusa, permista, perturbata, licentius res gestas fucari, et contegi jus fasque esse, modo summæ, et veluti nuclei, reserventur *Veritati*; relicta a magnis auctoribus, et consensu publico jam approbata, non sine dedecore ab insequentibus poëtis mutatum iri; idcirco non explodi fabulam Didus Vergilianam; primum quia de iis quæ ante Olympiades; tum quia jam ante ab Ennio vulgata; tum etiam quia opinione communi et fama recepta; sic enim a plurimis credebatur, Æneam in Africa fuisse cum Didone, et post ejus necem Annam sororem in Italiam venisse, quæ submersa in Numico amne, Anna sit Perenna, cui ad Idus Martias sacrificetur, cum votis annandi, et perennandi.

**Olympiades.**

**Didonis  
fabula.**

**Anna.**

*TERTIA CONDITIO.*

**R**Es quæ post Olympiades actæ sunt, integræ manebunt *Veritati*, nisi quod appingere aliquid licebit, decoris, aut gratiæ, aut voluptatis, aut etiam utilitatis, morumque causa; laudari idcirco Vergilium, qui quum multa sibi in rebus Æneæ permiserit, ubi ventum est ad Romanos observator fuerit veritatis, ut in VI. Æn. et VIII. Et merito: religiosius scripsisse Lucanum, et Silium, quam Valerium Flaccum; induxisse tamen ínferos loquentes, et quosdam præterita, et cunctis nova vaticinantes, aut alia mediis rebus gestis, quæ venerem et gratiam pariant carmini, veritatem rebus non tollant.

**Post  
Olympiades.**

*QUARTA CONDITIO.*

**A**dmiscere veris licebit falsa, modo ex iis quæ ante Olympiades rejiciuntur, quæque fabulosa nuncupantur, et excurrere in hæc.

*QUINTA CONDITIO.*

**Q**Uoniam morum meliorum gratia multa sunt concedenda, quæcunque vel ad mores spectabunt, vel ad aliquem vitæ usum, libera relinquentur scriptoribus, adeo ut sequi in totum *Falsum* et apologos comminisci permittatur; hic et novæ comædiæ picturæ humanorum affectuum, et dialogis, qui multum comædiis accedunt, esse locum.

**Apologi.  
Comediæ.  
Dialogi.**

*SEXTA CONDITIO.*

**O**Mni tempore, omni ætate, omni scriptorum generi jus erit *Veritatem* fucare ænigmatis, abusionibus, translationibus, quæ latissime patent.

*SEPTIMA CONDITIO.*

**Q**Uisquis de re ad artes et eruditionem spectante scripserit, sive oratione numeris soluta, sive astricta, *Veritatem* puram putam artium relinquet, quantum sententia ejus fert, nisi metaphoris se vestiat: si qua attulerit corollaria, vel additamenta, superioribus conditionibus teneror.

*OCTAVA CONDITIO.*

**S**I quum fucabitur *Veritas* non adsint negotio gerendo verisimile, constantia, et decorum, absona, inepta, ridicula, explodenda, exhibilanda, rejicienda omnia, futurum.

*NONA CONDITIO.*

**S**I quis prorsum animi sui gratia *Falsum* assectari statuerit, nec ad mores, aut vitæ usum deflexerit, ne desint Principi illi comites, permitti, modo insigni aliquo distinguantur id professi, donenturque civitate Milesia amœna, et deliciosa; circumferant etiam secum in sermone

delicias, lusus, et utramque Vulcani uxorem, vivantque cum Luciano, Appulejo, Clodio Albino Principe Ro.

**Clodius  
Albinus.  
Aristides.**

Aristidem poëtam procacem, libidinosum, impurum, si contentiosius agat placere, non moveri sinimus, idque optimo jure, quum Appulejus eodem sæpe crimine teneatur, honestissimus alioqui, et magistratus civitatis. Hic, instante et christianorum, et philosophorum manu, Aristidis mentione submoniti, adjecta est non conditio sed adhortatio ut próximo Senatus Consultum abrogaretur Catulli lex quatuor lata versiculis similibus iis, quos olim Phaleucus Cereri cantavit.

*Nam castum decet esse pium poëtam  
Ipsum, versiculos nihil necesse est.  
Qui tunc denique habent salem et leporem,  
Si sunt molliculi, et parum pudici.*

Tum etiam ne inania, et nulli futura usui cantentur, sed adjuncta sit voluptati utilitas.

#### DECIMA CONDITIO.

**S**I quis aliter, quam iis conditionibus præscribatur, fucarit, dixerit, fecerit, nec apud *Verum*, nec apud *Falsum* sit ei honos ullus, sed gymnasiis, palæstris, diatribis, scholis omnibus, vilis, sine auctoritate, sine honore, sine nomine, censu, classe, centuria, sine civitate ejicitor; hæc ut S. C. et plebis scito approbentur more atque in stituto majorum: *Fraudem qui fecerit, in fraude esto.*

Jussa sunt scribi hæc per scribas publicos, partim per M. Terentium Varronem, partim per Q. Horatium Flaccum, partim per Cælium Lactantium Firmianum; nonnulla excipere te jusserunt.

*VIV.* ¿Me scilicet? vide ne satis habitura sint ponderis quæ a me scribantur, homine ingenio minus quam mediocri, eruditione nulla, et prope Academico.

*VERG.* Non habebunt pondus quia a te scripta, sed quia a *Veritate* jussa.

*VIV.* ¿Quam putas æquis animis inclusuros his se limitibus poëtas, genus hominum vagum, et liberum?

*VERG.* ¿Ecquid latius dici potest vel liberius istis finibus? ut in eis expatiari, currere, vagari, errare laxissime pro arbitrio queant, ut non patentiora sint prata Divi Jacobi, in quibus te nuper deambulanti cum illis duobus honestissimis adolescentibus offendi.

*VIV.* Nicolaum Votonium dicis, et Hieronymum Ruffaldum, ¿quæ ingenia, mi Vergara! ¿qualia futura olim seculi sui ornamenta, nisi, quod avertat Deus, vel fortuna illis inviderit, vel ipsi sibi!

**Nic. Vot.  
Hier. Ruff.**

*VERG.* Gaudeo equidem talia abs te formari ingenia.

*VIV.* Si ipse nihil magni et præclari foetus possum parere, at saltem ad pariendum alios adhortabor, faciamque quod vel effoetæ istæ, vel steriles mulieres, quæ obstetrices sunt, ubi puerperæ esse nequeunt, et quemadmodum Horatius inquit. \*

. . . . *Fungar vice cotis, acutum  
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi:  
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo,  
Unde parentur opes, quid alat, formetque poëtam,  
Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.*

*VERG.* Hæc jam aliorum spectant, et ut incipis συχολογιζειν; itaque non hic maneo.

*VIV.* Sapis, ne te enecem molestia,

*Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo;*

sed nihil esset quod metueres, si scires quam cito me ex Parnasso deficiat aura.

*VERG.* Desine jam Parnassos, et Helicones, et Pierios jactare; ζιδες esse horam cœnæ, et exordiris altius ineptias, ut ad ambas aures nugis expleti, ad imum stomachum vacui esuriamus?

\* In Art. Poëtic. vers. 304.

VERITATIS FUCATÆ FINIS.